














Oratio pro gloriosissimi doctoris ecclesie Augustini solēnitate in eiusdem ede a Reuerendissimo patre domino Ludouico Donato Episcopo Bergomensi habita assistentibus Reuerendissimis dominis Cardinalibus.

Sicut sol refulgens ita iste refulsit in templo dei.

Um hoc celeberrimo die Reuerendissimi domini nihil sane magis agendum videatur quaꝫ ne tanti nobis prestiti beneficij immemores ingratiqꝫ esse videamur: totus hic profecto dies in tanti patris laudibus preconijsqꝫ recēsendis agendus esset. Quis em̄ nobis potiora ampliora qꝫ beneficia atqꝫ munera contulit quā preclarissimus eminentissimusqꝫ Augustinus de quo non immerito precipue canit ecclesia. O doctor optime ecclesie sancte Lumen. Sed cuius est tanta dicendi vis. tantū flumen ingenij vt possit oratione sua eius merita pro dignitate cōplecti. Quare non tantum mihi oneris subeundum esse arbitratus cum sentiam quam in me sit exiguū ingeniū: quaꝫ tenuis dicendi facultas: nisi summa in me auctoritas immo vero imperiū reuerēdissimi dn̄i mei Rothomagensis me ad hanc suscipiendaꝫ prouintiā coegisset: cui non obsequi: non parere nefas ꝛ quidem horrendū ducereꝫ. Quis est em̄ adeo inhumanus: adeo ferus vt prestātissima ac prope eius diuina cōspecta maiestate nō mitescet Quo itaqꝫ rē tam arduā tam immēsam aggredi valeā: pro approbatissimo more ad gloriosissime virginis praesidium implorandum confugiamus.

Si summo in honore atqꝫ gloria doctrinaꝝ studia que solū ad vitam hanc fluxam fragilēqꝫ instituendā atqꝫ ornandaꝫ excogitata sunt apud om̄es gentes semp fuerunt qđ tandem his studijs tribuemus: q̄ non modo vtilius ac suauius huic vite prosunt: sed alterā que vera vita est stabilis ꝛ eterna nobis hac luce clarius ostēdunt. ac patefaciūt. ad eanqꝫ nos facile perducūt: vbi lumen indeficiens vbi gaudiū sempiternū vbi vita peremnis ꝛ immortalis ꝛ



laetitia sempiterna cum angelis ꝛ Apostolis vbi lux lucis ꝛ fons luminis vbi ciuitas celestis sanctoꝝ Hierusalem: vbi conuentus Martirum ꝛ patriarcharum cum Abraam Isaac ꝛ Jacob ꝛ sancto rum omnium: vbi doloꝛ nullus ꝛ tristitia post gaudium: vbi nox effugiet et senectus non apparebit: vbi charitas inexplebilis vbi pax indiuidua vbi assistunt angeli ꝛ vniuerse potestates: vbi mā na id est cibus celestis ꝛ vita angelica. Et vt infinita breui cōpre hendam omnis doloꝛ ꝛ om̄e malum non videbitur ꝛ omne bonū vnquam deesse non poterit. Quare cum hec doctrina non huma no quidem ingenio inueniri potuerit: sed diuinitus fuerit inspi rata: quantum summo deo caros gratosqꝫ fuisse censebimus eos: qui in ea quam maxime excelluerunt: ex quibus quem clarissimo Augustino ante ponemus. Multi quidem summo ingenio viri se huic doctrine penitus dedicarunt a quibus nihil sane est qđ desi derari posse videatur: Nullum nanqꝫ est doctrine genus qđ non plane assecuti ipsi fuisse videantur: adeoqꝫ rerum scientiam cum peritia iunxerunt litterarū vt discerni vix possit: maioꝛ ne in ipsis scientia reꝝ an peritia fuerit litteraꝝ. Uerūtamen fateoꝛ equidē qđ sentio inter omnes eminet ꝛ excellit acumine ingenij ꝛ sapien tie vbertate hic noster Augustinus. Quis enim eo inexpugnan dis delendisqꝫ hereticis acrioꝛ atqꝫ vehementioꝛ extitit. in quos supꝛa octoginta edidit volumīa. vnde egregius inqt hilarius do ctoꝛ excellentissim⁹ Augustinus catholice fidei defensoꝛ in diuīa mediatōne sp assiduus metu moꝛtis in trepidus singulos destru xit sacrilegus: atqꝫ om̄es superauit hereticos. Cassiodoꝛus deī ait: Beatissimus atqꝫ doctoꝝ pꝛecellentissimus Augustinus here ticoꝝ debellatoꝛ: fideliū protectoꝛ oīm famosoꝝ extat palma certa minū. Eloquētissimus pꝛeterea accedat Hiero. Jta eī inquit: ni si pꝛepotens atqꝫ pientissimus Deus sanctū patrem Aureliū Au gustinū foꝛtunati tpe nobis concessisset ac donasset sanctificatio nostra desolata fuisset: dies festi nostri conuersi fuissent in luctū Sabbata nostra in oppꝛobꝛiū. Honoꝛes ꝛ sublimitas nr̄a in mero rem ꝛ planctū. Quid vero inmēsaꝫ obstupendāqꝫ eius sapientiā

memorē. Innumeros ferme libros. M. Varro fert̄ cōposuisse: ob eamqꝫ rem summa in admiratione est habit⁹ Calcidorus etiā ea de causa miris attollit̄ laudibus. Origenes vero sex milia dicitur scripsisse librorꝫ. At August. vt attestat̄ Isidorus cunctarꝫ splēdor scientiarꝫ: ꝛ diuine sapiētie scriba solertissimus: oīm studiū: scientia ꝛ ingenio vicit. O sol refulgens: cūcta illuminans: O mentiū celsitudo: ꝛ oīm ingeniorꝫ profunditas Augustine: vnde ꝓ deus immortalis tuis ex visceribus tam innauigabilis Oceanus sapiētie defluxit. vnde tibi tanta archanorꝫ cognitio vt nihil obscurꝫ. nihil difficile. nihil dubiū: abditum ꝛ opertū esset: quin illud reseruaueris atqꝫ patefeceris. Profecto nihil aliud arbitrandū esse censeo: nisi ꝙ Iesus xp̄s hominis deiqꝫ filius vera ꝛ eterna sapīa sic in suū te elegerit domiciliū: vt omnes ex te scientie ꝛ sapientie fontes scaturirent. Alterꝫ nanqꝫ nimirꝫ vas electionis dici potest qꝺ ex fidei persecutiōe diuina vocatione factus fuerit fidei ꝓpugnaculū: cumqꝫ fidem sine operibus iuxta Apostoli sententiā mortuā esse intelligeret: ita se exercendis pietatis operibus tradidit ita in obediētia fuit preclarus: In humilitate circūspectus: in castitate fortissim⁹: in sacrificiis deuotissim⁹: fide Constātissim⁹: in charitate ignis ardens. in oratione assiduus: in predicatiōib⁹ tuba resonans: vt reprehensibiles: queādmodū Anastasius refert reliquorꝫ monachorꝫ culpabilesqꝫ mores faceret apparere Iure meritoqꝫ de eo dicat̄. Non est inuentus similis illi: qui conseruaret legē excelsi. Tanto itaqꝫ irreprehensibilis sanctissimeqꝫ vite exemplo. atqꝫ predicatōis feruore in se oīm quidem oculos animosqꝫ conuertit. Sed plurimi relictis oībus Apostolorꝫ more ip̄z solum preceptorē ip̄m patrem iugo se dn̄i subicientes sequebant̄. totosqꝫ se eius preceptis ac discipline obtēpaturos deuouebant. quibus ille bone deus quā suauem. quā moderatā quam integrā ac diuinam institutiōez ac regulā conscripsit. ad cuius dignitatē ac sanctimoniā tot vndiqꝫ diuino munere attracti sunt. vt triginta ferme ordinū genera eam profiteant̄ regulaꝫ. Quapropter diuus Basilius Ecclesiam gaudere ꝛ letari iubet. qm̄ per Augustinum

om̄i eius fame sitiq; extincta suscepto robore sterilitate sublata ei⁹
micante splendore ip̄o marito omniū̄ gentium ac nationū̄ mater
euasit O sanctum robur ecclesie Augustine O firmamentū̄ fidei
O calcar virtutū̄·flagitiorum flagellum·quibus te honorib⁹ qui
bus triumphis prosequemur. Adest hic certe adest qui tui nom̄is
tue glorie vel in primis cupidissimus studiosissimusq; est· q̄ hoc
insigne tibi templum instaurauit qui dies noctesq; tuam efficit
cōm̄emorationē̄ celebrari·qui omni ornatu omni splendore tuum
nomen famāq; illustrat: Hic ille est tuus deuotissimus Rhotho
magensis Cardinalis reuerendissimus: qui non modo hoc tuū
preclarum templum:sed tanquam tui imitator vbiq; illustrat mi
rificeq; exornat ecclesias· Demum cum italiam ⁊ omnem pene af
fricā̄ peragrasset August·cū oē̄ christi fidem defensassꝫ cū eā̄ de
fēsatam innumeris propugnaculis premunisset· p̄munitam stilo
quodam preclarissimo posteris reliquisset apertam·cum secundū̄
⁊ septuagesimū iam ageret annum:quod tantopere concupierat
corporeis vinculis dissolutis cepit esse cum Christo eterna certe
felicitate fruitur⁹·Quā̄ interuenientib⁹ eius p̄cibus nobis quo-
q; ipse prestare dignetur qui cum patre ⁊ spiritu sancto viuit ⁊ re
gnat in secula seculorum Amen.

Finis·

